

CONRADVS PELLICANVS THEOLOGVS TI-
gurinus.



Conradus Rubeaci oppido Alsatiaë natus, & in bonis literis à pueris optimè institutus fuit. Cum autem prima rudimenta percepisset, se ad Heidelbergensem ac postea Basiliensem Aca-
demiã contulit, atque artibus & linguis præ-
claram operam nauauit. In primis uerò Theo-
logico studio incubuit, atque in talem uirum eua-
sit, ut etiam doctissimis conferretur. Vt autem is
commodius studijs uacare posset, pro more eius
seculi moachorum Minoritarum ordinem susce-
pit, atq; cum ipsis summa animi trãquillitate uixit.